



# Contenta.

*An f.*

1. Tob. Eckhardi Observations philologica ex Aristophanis Pluto actione N. F. illustranda inferuentibus.
2. Christph. Wollii Dis. de eo quod sublimis est in his Moies verbi: vere dico Quo, ad Longin regi 1485.
3. Iust. Godesfr. Guncius dis. de Sacra Scriptura in sacris Resculapie.
4. Sal. Deylingii Euangelianum doctrina et salutifica systema. (fide).
5. Christian. Gottlieb Clugii dis. de sua formula, qua interrogamus infantes ante sacram lotionem la.
6. Cap. Haferungii progr. de baptismo mystico.
7. Io. Georg. Walchii dis. de baptizato Christum induente.
8. Ciusu. Historia paedobaptismi quatuor priorum seculorum.
9. — progr. Tempus aduentus mortis idoneum.
10. — Controversia de productione spiritus sancti.
11. — Historia doctrine de peccato originis.
12. Frid. Andre Hallbaueri Brittonia christiana rei facies a Plinio representata.
13. Io. Andre. Danckii dis. de filia vocis, nefanda divina emula.
14. Io. Christian. Siebenfechtii Dis. de discrepantia et consensu psalmi XXXIX. et II. Sam. XXII.
15. Eiusd. dis. de sacrificio a peregrino offerendo, ex levit. V. 20. 26.
16. — de leprie cap. LXIII. comm. 19. non diuellendo.
17. Christian. Sigism. Georgii dis. de peregrinis idiotismis ob causas et effectus suos in sermoni  
N. T. Graec non admittendis.
18. Cap. Gottlob Sperbachii Observations philologica in nonnulla pentateuchi loca a trans.  
latoore Wertheimensi corrupta.
19. Georg. Laur. Gottlieb Reichenii Observations similes.
20. Heinr. Knollii dis. quia Iudou. de Dieu aphorismos theologicos falsos et errores refutat.
21. Cap. Heinr. Leibnici Dis. dicta quedam N. T. ex versione hebreaca illustrans.
22. Iosach. Klader de lingua domini nostri Iesu Christi gloriosa, ad 1. Cor. XV. 22. 23.
23. Gustav. Georg. Leibnitii dis. de subiectione Iesu Christi gloriosa, ad 1. Cor. XV. 22. 23.
24. Christian. Gottl. Ioecherti Thoma Wooltoni de miraculis Christi paralogismorum examen.
25. Heinr. Schlaunfingi progr. de gradibus academicis.
26. Eiusd. Animadversiones de נָבָת יְהוָה ad gen. XII. 67.
27. Io. Vorstii Diatriba de adagis N. T.
28. Io. Cap. Haferungii dis. de Bileam incantatore et propheta periodico.
29. Io. Psalchii Graphus rabbinicus-philologicus de schem hamaphorach.
30. Christian. Weilii Systema psalmorum metricum a cel. Anglo Franc. Itare ruper adornatum.
31. Adam. Grenzii Lucubratio theologica in locum Ioh. VII. 48. 49.
32. Christian. Gottl. Frid. Wolffii Schediahma de diuortio Iudeorum, ad Matth. XIK. 8. 9.
33. Io. Gottlieb Bosseckii Memoria Frid. Myconii.
34. Io. Andr. Schmidii dis. de regina ex austro, ad 1. reg. X. 1. 169.
35. Eiusd. de elinguatis mysteriis trinitatis predicatoribus.
36. Christian. Ernst. Schmidii dis. de promotione academica Xfo eiusq. apostolis prosperam tributa.
37. Erh. Reuschii progr. Hymnus angelicus ex historia rituum Jacobum illustratus.
38. Christian. Bebel. Michaelis progr. de Christo filio hominis.
39. Cap. Oratio de Daniele, laude atque exemplo typog. triennii academicii.
40. Eiusd. Langii et Dan. Gottlieb Krügeri Epistola de tuse vita ac necis, ad exod. XXI. 20. 21.
41. C. B. Michaelis dis. de vaticinio Amosi propheta.
42. Io. Guili. Langii et Dan. Gottlieb Krügeri Epistola de tuse vita ac necis, ad exod. XXI. 20. 21.

*23.*

Q. D. B. V.

HENRICVS *Klausing*

THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.  
ORDINIS THEOLOGORVM

HOC TEMPORE

DECANVS  
PROMOTIONEM  
DOCTORALEM

TRIVM  
THEOLOGIAE LICENTIATORVM

DIE XXIII SEPT. MDCCXXXIV  
IN AEDE PAVLINA SOLENNI RITV  
INSTITVENDAM

INDICIT

ET ADEAM

ORDINIS THEOLOGICI FAVTORES OMNES  
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITAT.

*229*

HEINRICHUS RICARDUS  
ORDINIS THEOLOGORUM  
HODIERNÆ  
DECANAS  
PROMOTIONEM  
DOCGORALM  
TRIVIA  
THEOLOGICAE TRIVIALIAE  
DIR XI. SPAT. DECORUM  
I. IDE ET ULTRA SCIENTIA  
INSTRUMENTA  
INDICIT  
ET ALIAS  
ORIGINIS THEOLOGICAE TRIVIALIAE OMNES  
STATIM MUNTA ATQ. Q. D. A. T. I. C. T.



**L**

Ta vero, iam octo annorum interallo interecto, in orbem demum redit solennitas illa publica, quam honoribus trium Candidatorum Theologiae, eo quidem tempore, consecrauimus, quae nunc totidem quoque Viros, et munierum sacrorum dignitate, et meritis in Ecclesiam, Academiamque et publicam rem literariam vniuersam, quam maxime conspicuos, iisdem his honoribus in Theologia summis exornandos, nobis sистit. Ego vero, et horum solennium nunc repeto memoriam, mihique ipsi simul in mentem reuoco πανήγυριν quoque illam publicam, quam, decem ante annis, solenni renuntiationi octo Doctorum Theologiae, virorum celeberrimorum atque immortali memoria dignorum, sacram fecimus, propterea, quod memini, me, in his solennibus diebus, tum quidem temporis, quoque publice indicatis, tria haec in disceptationem quaestionemque vocasse, I.) Sitne nostrorum

A 2

in

in Theologia honorum summorum collatio fundata in  
sacris literis, quoue potissimum Scripturae loco? II.)  
Quinam sint, interprete atque auctore ipso sancto Dei  
Spiritu, honoribus his nostris afficiendi? III.) Dentur  
ne hodie etiam, in Ecclesia militante, Doctores Theo-  
logi, a Deo ipso in coelo, vel coelitus, vt aiunt, creati  
ac promoti, qui, vel maxime propterea, honoribus no-  
stris Academicis non indigeant? Neque ita in obliuio-  
nem harum rerum omnium veni, vt recordari non  
potuerim, me, prioribus illis quaestionibus duabus tum  
quidem nonnihil expeditis, tertiam reliquam fecisse, et  
futurae alicui panegyri, superioribus simili, referuasse.  
Cum vero haec ita sint, et numerus interea illorum, qui  
male de honoribus nostris sentiunt, non sit diminutus,  
sed auctus (augentur enim mala omnia supra omnem  
fere modum, temporibus illis nostris, in quae nos Deus  
referuauit) non erit alienum, tertiam quoque quaestio-  
nem huc reuocare, et perinde ad illam respondere, at-  
que illi, qui aientem sententiam defendunt, merebun-  
tur. Non merebuntur responsum et confutationem  
nostram illi, qui, eum in finem, affirmant, Theologos a  
Deo ipso doceri, et in coelo doctores quoque Theolo-  
gos creari, debere, non, vt honores nostros Academicos  
solos in odium contemptumque et despicientiam ad-  
ducant, sed, vt scholas quoque ipsas et Academias tanto  
liberius criminari possint et omnibus quam maxime in-  
uisas reddere. Est enim in illis mala mens et malus  
animus, in quo corrigendo omnis opera frustra infu-  
mitur. Docuit illud exemplo suo *Andreas Bodenstein*,  
alias dictus a patria *Carolstadius*, qui primus, post in-  
staurationem Euangelii lucem, praetendit, Theologiam ad-  
disci ab ipso Deo, non in Scholis, aut Academiis, debere,  
et

et Doctores quoque Theologos, non in Scholis atque  
Academiis, sed in coelo, creari debere. Tantum vero  
abest, ut ab hoc furore animi fanatico et vesana pror-  
sus mente potuerit reuocari, ut potius a munere Do-  
ctoris Theologi vltro abierit, habituque sacerdotali de-  
posito, et cum rusticorum vestimentis commutato, ex  
Academia Wittembergensi in vicinum pagum se rece-  
perit, lignaque postea et olera vendenda in forum Wi-  
ttembergense, adduxerit, respuens Doctoris Theologi  
nomen, aliudque in eius locum substituens, quo *Bruder*  
*und Nachbar Andres*, nuncupari cupiebat. Quid? quod  
*Gabrieli*, Monacho Augustiniano, et *Thomae Moro*, Wit-  
tembergensium ludimoderatoribus, persuaserit, ut scho-  
las suas clauderent, et parentibus Wittembergae con-  
filia dederit, ne liberos in Scholas, aut Academias, mit-  
terent, hortatus etiam collegas suos, ne deinceps cui-  
quam, vel Magistri, vel Doctoris, titulum attribuerent,  
adscriptis ad cathedram in Templo Academic, in qua  
creari Doctores solent, his verbis Christi: *Ihr sollt euch  
nicht Meister heißen.* Nae ille veram causam profes-  
sus non est, quae eum ad haec omnia concitauit. Quem  
enim, quaeſo, Deus docuit, Scholas claudere et impro-  
bare? Et quis vnquam a Deo sic institutus est, ut exi-  
stimaret, functiones sacras, in Ecclesia, in Scholis atque  
Academiis, rite sibi commissas, se, si forte furore animi  
quodam perturbaretur, sua sponte deserere posse? Ve-  
ra causa quaerenda est in ambitione Carolstadii et odio  
Lutheri. Creauerat, scilicet ille et publice renuntiaue-  
rat Lutherum Doctorem Theologum, et, vel maxime  
propterea, etiam maior Lutheru videri et haberi ge-  
stiebat. Cum vero, ad hoc obtainendum, se quam ma-  
xime imparem esse, intelligeret, acerbe et penitus odisse

incipit Lutherum, et , cum Luthero, Scholas ipsas et  
Academias omnes, cumque illis denuo honoris gradus  
omnes Academicos, maxime vero Theologorum sum-  
mos. Et , ne omnino causam nullam adderet, hanc  
praetexuit, Theologos, non in Schola, aut Academiis,  
sed a Deo ipso doceri, et Doctores quoque Theologos  
non in Scholis et Academiis, sed in coelo, constitui  
debere et creari. Tandem eo etiam in hac dementia  
profecit, ut , Doctores quoque Theologos nullos vo-  
cari debere, contenterit. Atque ego huius memoriam  
incorrigibilis stultitiae tam copiose repetere ideo volui,  
ut , vel vnius exemplo Carolstadii, de similiter infami-  
entibus reliquis iudicium ferri possit vnum atque idem.  
Secuti enim eum sunt Anabaptistae et reliqui Fanatici  
omnes , in quibus , praeter ceteros, excelluerunt , ma-  
iorum nostrorum memoria , *Valentinus Weigelius*, et ,  
nostra aetate , *Christianus Dippelius*. Addi potest et-  
iam , *Godofredus Arnoldus*, quia hic quoque eum in finem  
tam acerbe et contumeliose inuehitur, cum in gradus  
omnes Academicos , tum maxime in honores nostros  
Theologiae summos, ut occasionem captaret, tanto ve-  
hementius insultandi omnibus , qui docent in Scholis  
et Academiis, quos Carolstadiano more deseruerat, et  
Bodensteiniano odio prosequi incepérat, immo etiam ut  
in Scholas ipsas et Academias tanto ferocius probra  
omnia et maledicta coniiceret, quae cumulatissime eu-  
muit et in caput integrum congesit, quod in *Haeresio-  
logia, Parr. II, Lib. XVI, est decimum.* Confer etiam  
*Cap. XXIV, §. 12, sqq.* Ne vero et hoc fecisse videretur  
sine specie pietatis et singularis cuiusdam sanctitatis,  
quam semper prae se tulit, practer reliquias causas, quae  
nihil, nisi calumnias et falsas hypotheses, continent, et-  
iam

iam hoc praetendit: *Theologos debere a Deo non tantum doceri, sed etiam promoueri, et ab eo solo honorem omnem ac praemia expectare.* Apud homines vero praesertim in Academia docentes, quibus honores sunt venales, gloriam querere, vel etiam aere redimere, velle graduum Academicorum, in primis Theologicorum, illud superbiae et studitiae haud tantum, sed etiam impietatis Antichristiana, argumentum esse: *Theologos vero nihil magis, quam humilitatis studium, decere.* Pergit ita criminari: Es waren doch die Promotoriones auf Universitatēn ein Antichristisches Wesen, und läge ein unchristlicher verfluchter Greuel unter den Christlichen Namen und Titel der heiligen Schrift Doctoren in den hohen Schulen verborgen, et, quae sunt reliqua. Pudet enim me et poenitet plura excitare eiusdem conuicia, maxime duplificem illam et foeditissimam Doctoris Theologi descriptionem, quam d. l. ex Andrea Ofiandro, semel atque iterum in opprobrium omnium huiusmodi Doctorum, repetit, et suam fecit. Sed non accepimus certo relatum, quod Arnoldum serio vñquam poenituerit harum contumeliarum, quibus tam vehementer infuscatus est rem, non dicam innocentem, sed etiam sanctam atque utilem, quam maxime Ecclesiae, et a Deo ipso mandatam. Meruendum potius est, ne constanter opinatus sit, se gratum Deo praestitisse officium, eo ipso, quod tam multos Doctores, viros, non Arnoldiana, sed vera, pietate insignes, virtuteque, saepe heroica, et doctrina solida atque exquisita, et meritis in Ecclesiam et reipublicam literariam excellentes, tam impudenter ac malitiosè infestatus sit: Ex qua re tamen, vel sola, reatum sibi contraxisset maximum, si non maiorem iam meruisset communissimo illo, quod in se suscepérat, haereticum fere omnium patroci-

trocinio. Quam ob rem hunc etiam nunc mitto, atque ad illos me maxime conuento, qui, maiori cum simplicitate animi, eundem errorem errant, sibique ipsis, atque aliis, sui similimis, persuadent, dari omnino, etiam hodie, Doctores Theologos in coelo a Deo ipso promotoes et creatos, qui, vel maxime propterea gradibus nostris Academicis non indigent. Nam hi quoque, quando se ipsis in horum numerum, sed peruerso admodum iudicandi modo, referunt, tum vero etiam honores nostros Academicos respunt et auersantur, licet fine malitia illa atque animi pertinacia, sine contemptu etiam Scholarum omnium atque Academiarum, quem in supra commemoratis deprehendimus. Horum vero causa nunc obseruamus I.) quod boni illi viri veras causas dissimilulent, et in medium proferre vereantur, quibus tamen reuera concitantur ad honores in Theologia summos, non quidem prorsus, Carolstadiano atque Arnoldiano more, improbandos, at declinandos tamen, vel etiam a magistratu demandatos, aut, alia occasione data, oblatos, non capessendos, nedum expetendos. Deriuanda autem vera praecipuaque causa est ab illa formidine, qua metuant, nunc subeunda examina, nunc edenda in publicam lucem specimenia. Nec desunt, qui, vel propter defectum abundantis, quae hic requirebatur, et scientiae, et sapientiae, et prudentiae, Theologicae, vel propter ignorantiam linguarum, sacri maxime fontis, et reliquarum, ab honoribus nostris deterrentur. Accedunt, qui cum Mose praetendunt, se esse, ככבי פה וכבורי לשין, et ore, et lingua, graues, Exod. IV, 10, praetereaque in palaestra disputantium, ac publice in Academiis docentium, vel parum, vel prorsus non, versatos. Has vero causas ut uno quasi velamento

mento quodam tegant, et in claram lucem adducere non habeant necesse, perhibent, Theologos a Deo ipso doceri haud tantum, sed etiam honorari ac promoueri, debere, secundum illud Pauli, *t Theff. IV, 9*, et Seruato-  
ris nostri, quod occurrit *Matth. V, 12*. In priori, aiunt,  
loco Apostolus Theologos describit, tanquam *Theodo-  
dantes*, hoc est, a Deo ipso edocitos: in posteriori ora-  
culo vero Christus iisdem Theologis promittit μαθητή  
μολὼν, mercedem magnam, adeoque etiam honorem ma-  
gnum, sed, cum his adiectis verbis, εὐ τοῖς ἁγίοις, in coe-  
lo, ne quis, vel expectandum, vel expetendum, esse docen-  
tibus in Ecclesia honorem, ab hominibus, in his terris, vel  
in Scholis et Academiis sibi conferendum, existimet.  
Apostoli, inquit, porro, et Christus, honores ab homi-  
nibus sibi non solum non expetuerunt, *t Theff II, 6*, *Iob. V,*  
*41*, sed magno etiam vito illud verterunt aliis, speciatim-  
que Phariseis, quod *honores*, maxime *Doctorum* titulos,  
*Matth. XXIII, 8*, *sqq.*, sumserint παρεκπάθεσπων, ab hominibus  
aliis, vel etiam παρεκπάθεσπων, a se mutuo, honorem autem  
illum, τὸν παρεκπάθεσπων Θεόν, qui est a solo Deo, non quaesi-  
nerint, *Iob. V, 14*. Denique etiam istud praetendunt,  
quod Dei et omnium sanctorum Dei Virorum consilia  
spectent ad studium humilitatis, quippe quod omni-  
bus, maxime vero Theologam docentibus, commen-  
dant, secundum illud Apostoli ad *Phil. II, 3*: *Nihil*  
*omnino faciat, κατὰ νερούχον, per inanis gloriae cupidi-  
tatem, qualem illi fingunt*, in honoribus nostris sum-  
mis Theologicis, praesertim, si expectantur, contine-  
ri. *Per studium vero humilitatis et modestiae, existime-  
mus, alios aliis esse praestantiores.* Ita vero honorum no-  
strorum in Theologia summorum verus contemptus,  
atque insolens despiciencia, speciem induit alicuius hu-  
milis.

militatis et modestiae, studiique alicuius Theologiae  
coelestis et maxime diuinæ, quæ tanto majori cum cu-  
ra cauenda est, quanto magis illam speciem mentitur.  
Obseruandum propterea I.) est, Apostolum, in *I Thess.*  
*IV, 9*, per θεοδιδίκτες non indicare a Deo ipso in coelo,  
vel etiam coelitus et immediate a Deo, edoc̄tos, qui  
alias θεόπνευσται vocantur, *II Timoth. III, 16*, quales olim  
fuerunt Prophetæ, Euangelistæ et Apostoli, *II Pet. I,*  
*20, sqq.*, *II Cor. XII, 4*, *Matth. XVII, 3, sqq.*, hodie autem  
nulli dantur, neque etiam inde usque a temporibus  
Apostolorum vñli exsistérunt, neque deinceps futuri  
sunt; sed ordinario modo a Deo edoc̄tos per ministerium  
Apostoli ipsius, reliquorumque, qui tum temporis  
in Ecclesia Theſſalonicensium docebant, qui per verbum  
Dei, tum quidem Theſſalonicensibus praedicatum, edoc̄ti erant.  
Patet illud vel ex eo, quod θεοδι-  
δίκτοι hic nominantur, non soli apud Theſſalonicenses  
docentes, sed omnes etiam vere credentes et pii in eorum  
Ecclesia, qui dicuntur quidem accepisse Spirirum S. a Deo  
inditum cordibus eorundem, qui eos docuerit φημενοί  
φίλοι, sed per praedicationem verbi, seu Euangelii de  
Christo, de quo Apostolus disertis verbis testatur in eadem  
hac Epistola cap. *I, 5, sq.* Videant ergo Difſen-  
tientes nostri, quomodo ſuſpicionem enthuſiaſmi et fa-  
naticiſmi a ſe remouere velint, et quomodo ſe liberent  
a colluſione cum θεοδικύονεσσι et fabulis hodiernorum Iu-  
daeorum, ſecundum quas familia Scripturae loca, v. c.  
*Esa. LIV, 13*, *Ier. XXXI, 33*, ſimiliter exponunt, ſi qui-  
dem fingere non defierint, Theologos, a Deo ipso in  
coelis, vel coelitus, et edoc̄tos, et doctores quoque  
Theologiae creatos, dari, qui, vel maxime propterea  
gradibus nostris Academicis non indigeant.

Obſer-  
uandum

uandum II.) est, μιθὸν πολὺν, seu mercedem illam magnam, hoc est vitam et gloriam aeternam, quam Deus et Christus Theologiam quoque docentibus promisit, illis quidem, qui sunt καλῶς προετόπει, καὶ καλῶς ποιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, 1 Timoth. V, 7, expectandam in coelo, Matth. V, 12, cuius etiam gradum aliquem eminentem describit, et ibidem simul Theologis committit sanctus Dei Spiritus, Dan. XII, 48, nostris gradibus Academicis et honoribus in Theologia summis non aduersari. Sicut enim reliquus honor, in hac vita, habendus atque attribuendus vnicuique, cui is debetur, Rom. XIII, 7, non tollitur, nec denegatur cuiquam, propter praemia et gloriam aeternam in coelo expectandam; ita vero etiam διπλῆ τιμὴ, duplex ille honor, quem, honores nostros in Theologia summos connotare, alias demonstrauit, non est denegandus, καλῶς προετόπει πρεσβυτέροις, Presbyteris illis, qui bene praesunt, quippe quem Paulus illis adscribit et a nobis praestandum praecipit, 1 Tim. V, 17, propter μιθὸν πολὺν in coelo expectandum. Cum proinde Deus, praeter mercedem illam magnam, quae in coelo post hanc vitam expectanda est, honorem quoque duplicum, in hac vita capessendum, compromiserit Theologis, τοῖς καλῶς προετόπει καὶ καλῶς ποιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, stultitiam Dissidentes nostri duplicum committunt: Alteram, quando honorem, in coelo demum post hanc vitam obtinendam, iam in hac vita sibi arrogant; alteram, quando honorem huius vitae duplicum, vel oblatum accipere, vel alia ratione sibi debitum, expetere modeste, nolunt, praetexentes τὴν δόξαν, τὴν παρὰ τῷ μων Θεῷ, hoc est, gloriam ipsam aeternam, ad quam tam ascendere in hac vita nemo potest, 1 Ioh. III, 2, 1 Cor. II, 9. Ita vero Pharisaei, a Christo reprehensi,



Iob. V, 44, et Nostri, in duobus versantur vitiis oppositis. Illi, per νευροδοξίαν, solam δόξαν, eandemque maxime inanem, παρὰ αὐθεόπον καὶ παρὰ αὐλικῶν quaerebant, τὴν δὲ δόξαν, τὴν παρὰ τῇ μόνῃ Θεῷ, seu gloriam ipsius vitae aeternae, quam omnino solus Deus dare potest, Matth. X, 28, prorsus negligebant. Nostri e contrario solam δόξαν, τὴν παρὰ τῇ μόνῃ Θεῷ, cum eam non habenat, praetendunt tamen, honorem vero sibi debitum, atque ab hominibus et expetendum verecunde, et conferendum, contemnunt. Illi Doctores, sensu Pharisaico, esse et dici discupiebant, hoc est, Deo et Christo, vel aequales, vel superiores, quod Matth. XXXIII, 8, sq., vehementer improbat: Nostri Dissentientes Doctores Theologi, sensu Biblico et Apostolico, esse et dici nolunt, quod tamen identidem requiritur, non quidem promiscue ab omnibus aut multis, Iac. III, 1, at ab illis tamen, qui inter καλῶν πρεσβύτας καὶ καλῶν ποποῖας εἰ λέγω καὶ διδασκαλία excellunt, et praecepit in Ecclesia, Scholis atque Academiis, muniberibus sacris praeficiuntur, 1 Tim. V, 17, et cap. III, 17. Observu. III. est, Deum quidem ipsum Doctores Theologos mittere in Ecclesiam, Scholas atque Academias, Matth. IX, 38, iisdemque τὰ πρεσβύτερα χαρισματα impertiri, 1 Cor. XII, 21, atque ita dignos illos reddere honoribus nostris summis, sed propterea eos Doctores Theologos immediate creari in coelo, aut renuntiari, ab ipso Deo, quis est omnium, qui existimabit? Hoc enim relictum illis est, quorum proprium est munus, candidatos graduum in Theologia summorum ante explorare, quam promouere, vel, quod eodem recidit, testimonio quadam solenni et publico exornare: 1 Tim. III, 10. Sunt enim re ipsa gradus atque honores nostri Academicci aliud nihil, quam soleane ac publicum de sufficienti haud tantum,

tum, sed etiam de abundanti, et doctrina, et sapientia,  
et prudentia, Theologica testimonium, praeclaris ac  
publice in lucem editis speciminiibus ac documentis  
confirmatum. Inde adeo etiam haec duo, ad summos  
in Theologia gradus aliquem promouere, et dare ei-  
dem testimonium solenne ac publicum, antea descri-  
ptum, sunt prorsus vnum atque idem, cum, auctore  
Deo ipso Spiritu S., in 1 Tim. III, 17, et Cap. V, 17, di-  
ligenter inter se conferendis, tum in Legibus, auctoritate  
Principis Mauritii, pro Facultate Theologica nostra Lips.  
sancitis, iam An. MDLIII, Cap. VI, seqq., et secundum  
Scriptores fere omnes nostrates, de hoc argumento  
qui aliquid literarum monumentis consignatum reli-  
querunt, v.c., VALENTINVM ALBERTI, in Diff.  
de Honoribus Academ. IOH. FRID. MAYERVM, in  
Miscell. de Doctoratu Theol. FRANC. ALBERT. AE-  
PINVM, de Moralitate Graduum Academ. MART.  
CHLADEN. de Odo Emolumen. Doct. Theol. IOH.  
FRANC. BVDDEVVM, de Origin. Doctorat. Theolog.,  
et reliquos. Haec omnia si probe attenderint Dissen-  
tientes nostri, desinent, spero, sic opinari, se a Deo ipso  
in coelo Doctores Theologos esse creatos, et, vel ex ea  
causa, se non indigere nostris honoribus, et quae cae-  
tera sunt, quae praetendebant. Ad ultimum si animad-  
uerint, quam sint parua illa munuscula, ad quae ac-  
cipienda, si offerantur, Leges seu Statuta Ordinis nostri  
Theologici, antea excitata, promotores nostros omnes  
restrinquent, multo scilicet minora, quam illa, quae ipsi  
Dissentientes acceptant, stipendiiloco, tanquam corpora-  
lia pro spiritualibus, ex Rom. XV, 27, 1 Cor. IX, 11, tum  
vero etiam desinent, vel criminari, vel perhibere por-  
ro, gradus et honores nostros venales nobis esse. Si

cōgitauerint denique, quod liceat episcopatum, et petere,  
οὐτέγειδαι καὶ ἐπιθυμεῖν, 1 Tim. III, 1, et in se suscipere, il-  
laeso studio humilitatis et modestiae, tum vero etiam  
finem facient, praetexendi illud Pauli, quod legitur,  
*Phil. II, 3.* Sunt enim et manent omnes quoque Theo-  
logi boni, postquam ad gradus summos in Theologia  
eucci sunt, ἐν τῇ τετενοφροσύνῃ ἀλλήλες ἡγέμενοι ὑπερέχοντας  
ἐστῶν, quales Apostolus, dicto loco, describit et requi-  
rit. Sed haec pluribus persequi non licet, quia nunc com-  
memorandi mihi illi sunt, quorum causa, haec tenus dis-  
putata praefatus sum, quos vel solos Dissentientibus,  
exempli loco, opposuisse, fuisset satis. Sunt illi summo-  
rum in Theologia honorum Candidati tres, Viri apud  
omnes in magna laudis et meritorum celebritate positi:

**DN. VRBANVS GODOFREDVS**  
**SIBERVS**, Scandauia Misnicus,  
S. S. Theol. Licentiatus, Antiqu.  
Ecclesiast. Profess. Publ. Ordin.  
et ad Diu. Thom. Archi - Diaconus.

**DN. IOHANNES CHRISTIA-  
NVS HEBENSTREIT**, Neo-  
stadiensis ad Orilam, S.S. Theolog.  
Licentiatus et Linguae Sanctae  
Professor Publ. Ordin.

1860  
DN.

Dn. CHRISTIANVS GOTTLIEB  
IOECHER , Lipsiensis, S. S.  
Theol. Licentiatus, Historiarum  
Profess. Publ. Ordin. et Collegii  
Maioris Principum Collegiatus.

Etsi enim illi iam dudum, et munerum grauissimorum dignitate quam maxime fuerint conspicui, et meritorum in Ecclesiam, Academiamque et rempublicam literariam, multitudine insignes, adeoque honoribus nostris in Theologia summis dignissimi, placuit tamen illis, per eam, qua multos superant, verecundiam, his demum superioribus diebus, modeste illos a nobis expetere. In qua re, tantum abest, ut Ordo noster illis aduersari potuerit, ut potius, aequissimo maximeque pio eorundem desiderio vltro annuendum esse, duxerit. Quod proinde bonum felix faustumque esse iubeat Deus immortalis, summum in Theologia gradum et priuilegia eiusdem omnia his Triumviris, pro ea, qua pollet, potestate, fibi antehac, ab *Episcopatus Martisburgensis Postulato Administratore Reuerendissimo Serenissimoque, Cancellario huius Academiae unico et perpetuo, Domino nostro Clementissimo*, facta, cum supremum hunc gradum assumendi Licentiam, diuersis temporibus, et olim, et nuper, iam impetraverint, per Promotorem huic negotio destinatum, conferre constituit idem Ordo noster. Eo igitur antiquo fretus iure, Panegyrin Academicam, solenni ritu a maioribus accepto, in Aede Pau-

linæ

lina, ab hora IX, propediem celebraturus, diem Septembris XXIII publicae renuntiationi designauit. Ut autem haec promotio illustri luce coruscet, MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, **Illustrissimos Comites**, utriusque Reipublicae Proceres **Grauissimos**, cum Florentissima Studiosae Juuentutis Corona, omnes denique reliquos omnium Ordinum ac dignitatum Collegii nostri **Theologici Fautores**, ego, h. t. Decanus, ea, qua decet, obseruantia et humanitate rogo, vt, dicto tempore ac loco, splendidissimam et fauentissimam sui praesentiam Facultati nostrae, et his futuris Theologiae DOCTORIBVS, ne denegare velint, eoque ipso, et illam, et hos, ad gratae mentis officium debitum ac paria studia arctius arctiusque deuinircire. P. P. in Academia Lipsensi, Dom. XII p. Trin. Die XII Sept. A. R. S.  
MDCCXXXIV.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA



102 183


f


5b.



3

PD 17





Q. D. B. V.  
HENRICVS *Klausing*  
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.  
ORDINIS THEOLOGORVM  
HOC TEMPORE  
DECANVS  
PROMOTIONEM  
DOCTORALEM  
TRIVM  
THEOLOGIAE LICENTIATORVM  
DIE XXIII SEPT. MDCCXXXIV  
IN AEDE PAVLINA SOLENNI RITV  
INSTITVENDAM  
INDICIT  
ET ADEAM  
ORDINIS THEOLOGICI FAVTORES OMNES  
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITAT.